

dem, illas in iis rebus habendas esse, quarum innoxia est utilitas, quarumque usus, dum prodest uni, non nocet alteri. Has autem res natura toti quasi generi humano permisit, earumque usum omnibus gentibus esse communem voluit. Vidit hoc CICERO, vir summi ingenii, & mentem his verbis expressit *L. I. de offic. c. 16. omnia autem communia hominum videntur ea, quæ sunt generis ejusdem, quod ab Ennio positum in una re, transferri per multas potest.*

Ut homo, qui erranti comiter monstrat viam,

Quasi lumen de suo lumine accendat, facit:

Ut nihilominus ipsi luceat, cum illi accenderit.

Una enim ex re satis præcipitur, ut, quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuique vel ignoto. Quod autem CICERO hic generatim differit de communi usu harum rerum, quæ, dum alteri sunt utilia, alteri molestiam & detrimentum non afferunt, id quidem PAVLVS *l. 2. §. 5. D. de aqua, & aquæ plu. arcendæ* confirmat, imperatores vero DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS *l. n. C. d. servit. & aqua* expressis verbis sigillatimque ad vias publicas trahunt, ita pronunciantes: *Uti autem via publica nemo recte prohibetur.* Ejus igitur conditionis sunt viæ publicæ, ut earum usu liberrimo nemini facile interdicendum, neque etiam libertas peregrinantium in eligenda, cui insistant, via, restringenda videatur. Nihilo tamen minus experientia nos docet, in omnibus fere rebus publicis peregrinantibus certis incedendum esse viis, & ab illis sub gravi pœna discedi non posse. Id igitur unde ortum suum trahat, age, ulterius indagemus.

IV.

Sunt equidem, qui viarum publicarum institutionem a sola principum dispositione, eorumque regali, quod dicunt, viarum publicarum jure repetendam esse existimant, a quorum tamen ut recedamus opinione, gravissimæ nos movent causæ. Quamvis enim summorum imperantium